

III:  
NEOVIDENSIS

Nro 13. (*Neovidensis* Nro 36.)

---

Minos, Umbrarum Judex  
Politicam Orationem

*De agricultura, et vita rustica  
cum orbe universo communicandam decrevit.*

---

Elysium --- Meum. --- Die Martis 15 Maji 1804. (Neov. 1 Maji.)

---

Sententia:

Omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil homine libero dignius.

Cicero ad Filium.

In hunc sensum allocutus est suum filium eloquentissimus Oratorum Cicero, postquam amplissimos in Republica gessisset magistratus, summisque honoribus ac splendoribus fuisset Romæ perfruitus. Præfuit Republicæ consulari potestate, quæ regiam superat dignitatem, sed etiam deposito consulatu plus poterat, quam primus in quacunque civitate minister. Tandem superatis variis civilibus procellis, comparata multiplici rerum experientia, abdicatisque splendidissimis muneri-

bus, quibus in urbe, orbis principe, fungebatur, commendavit dilectissimo sibi filio vitam rusticam, & agriculturam: omnium rerum, inquit, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil homine libero dignius.

Profecto longe jucundissimum præbent spectaculum lætæ segetes, virentes campi, atque ipsa rusticatio; omnia prædicant humanam industriam. Inde a Sicilia usque ad Russiam, exceptis Alpibus inaccessis, non reperitur palmus terræ, quem humana manus non subegisset, ex quo uberrimos fructus non perciperet. Societas hominum omni tempore summam impendit operam agriculturæ, quæ semper cum legislatione pari passu ambulabat. Prima lex primo homini fuit data, ut vitam suam duro labore e terræ frugibus sustentet, ut in sudore vultus pane vescatur. Eandem autem legem usque ad hodiernam diem firmitatem obtinere quis vocabit in dubium? In sudore metuntur fruges, in æstu invehuntur in horrea; o sempiterna lex! At non est iste sudor coactionis, sed sudor tempestatis anni, sudor lætitiæ.

Rem agrariam Reges, Belliduces, Principes, aliique magni viri suis curis sunt complexi; talia innumera exempla Historia memoriæ prodidit, & hodie adhuc Imperator Chinensium quotannis terram aratro proscindere solet; ut ostendat, quanti faciat agriculturam. Etiam Imperator Josephus simile documentum dedit in Moravia. Cato, Vir-

gilius, Cincinnatus, & Romulus singulari amore ferebatur in rem rusticam. Antiquissimi autem populi fautores culturæ agrorum, eosque, qui aliquid agriculturæ deserviens instrumentum invenissent, in numerum Deorum referebant.

Ad cultum agrorum pertinet potissimum intertentio pecorum. Hæc erat prima hominum occupatio, primus vivendi modus. Tempora Patriarcharum, qui simul Pastores populi, simul pastores gregis agebant, revocant nobis in memoriam fortunatam illam vitam innocentis ætatis, qua Principes pastorali baculo sibi subjectos regebant. Hæc quidem tempora mutationem subierunt; at sustentatio vitæ humanæ nequaquam: uti olim, ita etiam nunc, vivunt homines ex labore manuum, ex fructibus terræ. Ast mira rerum conversione factum est; ut hoc tam magni momenti negotium, quod solum potest hominibus alimenta suppeditare, despiciatui habeatur, eidem enim nonnisi homines infimæ classis applicantur. Res hæc videtur originem sumsisse a Romanis, qui ruri colendo mancipia adhibuerunt: aut ab illo systemate quo terræ in magnas, & inseparabiles portiones dividebantur, atque famulis assignabantur; ut ibidem rem rusticam curarent. Ruricolos nostros urbani homines alta quadam despectione intuentur; utique in simplicitate educati, & illo tantum, quod ad agriculturam pertinet, imbuti multum distant a moribus civilibus, qui illis nec convenirent;

sed si penitus consideremus, ab iis ali universam Rempublicam, inde a Principe usque ad ultimum mendicum, oporteret eorum conditioni quapiam accessione honoris consulere.

Dicat jam, per me licet, quod cui lubet; reponat summam felicitatem in repletis auro scriniis; laudet collectionem numeratæ pecuniæ; prædicet commercium tanquam fontem cito acquirendarum divitiarum, ego omni asseveratione affirmo, veras opes consistere in agricultura. Pecunia etenim rotunda est, & ideo diversis casibus facile devolvitur; negotiatio suas habet periodos, jam prospera est, jam inducit ruinam rei familiaris; vagatur quaquaversum, conservatio splendidorum ædificiorum eget magnis sumtibus, quibus præterea tempore belli imminet eversio: at cultura agrorum, possessio fundi immobilis certos singulis annis reddit fructus, qui etiamsi quopiam anno spem coloni fallant, quia tamen idem aliis quoque in eadem plaga evenit, augentur pretia rerum, & per hoc compensatur id, quo minus terra protulerat. Inter flammam quidem belli tam ab amico, quam inimico conculcantur agri, proteruntur prata, omniaque terræ producta tantisper oblivioni traduntur; sed lucrum fundo inhærens, agri, prata immota manent, neque enim potest ea hostis plaustris imponere, ut asportentur. Sequenti anno iterum laboratur, aratur, seminatur, & benigna natura obducit campos floribus, segetes uberibus spicis, replenturque horrea. Mars plus furit

in urbibus, quam ruri. Vi belli percussæ urbes diu jacent prostratæ, rus autem proximo statim anno colitur, & fructus reddit novos.

Pecunia fœnori data, etiamsi omnem, quæ cogitari potest, habeat securitatem, multis tamen obnoxia est vicissitudinibus; vel enim homo, cui data est pecunia, ad incitatus redigitur, vel cui tota innitebatur sors, perit hypotheca; omnibus his minus inest securitatis, atque terræ, quam solus terræ motus potest absorbere, aut si cœli corruerent. Generatim elocatæ pecuniæ securitatem licet metiri ex moralitate hominum. Si mores corrupti sint, si nihil amplius proficiant religiosa principia, actum est de meo, & tuo; et nebulonibus semper aperta est via: qua sciunt solutionem declinare.

Non nego, posse negotiatione quam citissime ingentes comparari opes; sed casus isti rarissimi sunt, imo multo plures contrarium demonstrant. Mercatorum Deus oblevitatem suam alas habere in pedibus, & in capite pingitur; o quot insignes mercatoriæ domus sub ejus tutela adeo collapsæ sunt, ut nunquam potuerint amplius reparari: sine dubio in agricultura non est integrum sive tam velociter, sive tam multum aliquot calami ductibus locupletari: natura parca est, festinat lente; sed etiam Deus sua munera largitur terræ secundum æternas, immutabiles leges: quovis anno reddit prædium mercedem laboris suo colono, ubi eodem tempore sex-

centa scriptoria mercatorum conclavia annunciant, se non esse solvendo: sed etiamsi cœlum aliquam Provinciæ partem pruina & grandine punire videatur, hæc tamen pœna non est diuturna, & paulo post ex infortunio nascitur emolumentum.

Lubens concesserim, agricolam locare terræ pro integro anno suum laborem, suam sementem, suum patrimonium; sed quam gratæ mutationes subeunt ejus animum toto hoc tempore? Exultat gaudio ad conspectum fertilitatis, oblectatur novis productis, quorum ipse est auctor, plenus solatii observat crescere suum patrimonium, impensamque operam compensatum iri. Lachrymæ illi præ gaudio oboriuntur, dum videt, quamlibet plantam in suo tusculano protuberantem esse suam, singulas spicas denotare ubertatem, dum ita ruri occupatus solem oriri, cœlum jam pluere, jam serenari conspicatur, atque hæc cuncta propter se; ut sui patrimonii census amplificetur.

Colonus cœlo, & terra contentus vivit, nulla ejus Patriarchalem habitationem rerum publicarum, aut bellorum cura perturbat. Mare nihil pensi habet, utpote in quo nulla tenet navigia. Subinde legit nova, at initium legendi facit a fine, ubi scit contineri annunciations de venditione agrorum, & pratorum. Nullo loco numerat sequentia legens, lectionique indormiens:

Lutetiæ Parisiorum (26. Aprilis). Fama est, præterito die lunæ in Fano S. Claudii



habitam esse secretam consultationem, quæ in multas horas protracta fuit.

Josephus Bonaparte nudius tertius Bononiam est profectus. Legio, cui idem præficietur, obtinuit cognomen pacificæ (videlicet in belli flammis, ita quidam novorum scriptor animadvertit.)

Ex meridionali Gallia scribitur quidam pirata Gallicus cepisse navim Anglicam, & in portum Rhoda abduxisse, in qua præter 200,000 Librarum Sterlingicarum repertum est magni momenti commercium litterarum, quod inter supremum rei navalis Anglicanæ Collegium, & Ducem Nelsonem intercesserat. Hæ litteræ protinus Proto-Consuli submissæ sunt.

Andegavio nunciatur: Extraordinariam Commissionem bellicam 7. Aprilis celebratam complures incolas Comitatus Vindocinensis, qui accusabantur de præstito Anglicis exploratoribus ad faciendam excensionem auxilio, absolvisse. Accusatores vero condemnasse ad pœnam carceris, & ferendas litis expensas.

*Problema.*

Vocabulum, quod multi eruditi sanguinarium, sanguisugam vocant, sequenti ratione potest resciri: Instituatur cum Alphabeto arithmetica Progressio in numeris ita, ut summa primi, & vigesimi quarti membri 121 æqualis sit, octavum vero efficiat 38. Dein prima littera vocabuli nominetur a, secunda b, & sic porro; prodipiunt istæ æquationes:

$a = b \times 60$ ;  $b = h - 10$ ;  $c = \frac{1}{3} - 3$ ;  $d = a - 25$ ;  $e = 6b$ ;  $f = 1$ ;  $g = f \times 15$ ;  $h = c$ ;  $i = f - 35$ ;  $k = 2e - 13$ , & summa omnium litterarum = 483. Habito valore uniuscujusque litteræ facile erit cognoscere ex Alphabeto proprias litteras. Denique ex  $k \times 30$  inveniatur prima littera loci, in quo aliquis sanguisugarum degit.

Quæritur: Quali Progressione ordinandum sit Alphabetum? Quod sit illud vocabulum? ac demum quæ initialis littera loci?

In eadem hac Officina Belnayana sequentes quoque libri prostant:

Moralis Philosophiæ Christianæ de Virtutibus & Vitiis Tractatus. 8. maj. 48 xr.

Atala, vagy két Indus' fzerelme a' Luizianai Pusztákon. Kötve 1 fl. 8 kr. Posta papirofra 2 fl. Fényes papirofra 4 fl.

Bárdosy, Moldavensis vel Szepiensis Decimæ Indagatio est proxima terræ Szepusienfis, & huic innexarum, sacro - profanarum Jurisdictionum evolutio. 4. maj. in charta scriptoria 2 fl. 30 xr. in impressoria 2 fl.

Gubernath, Institutiones Lingvæ & Litteraturæ Hungaricæ cum Phrasologia, & Syntaxi ornata. 1803. 8. Tomi II. 2 fl. in charta scriptoria 3 fl.

Atala, ou les Amours de deux Sauvages dans le Désert, par F. A. Chateaubriand. 12. rélie 1 fl. 8 xr. sur Papier de Poste. 2 fl. — Velin 4 fl.